

ritè inceratis ejusmodi fibras vesiculares adhuc commodiùs parari & sub minori forma posse; sic obvium erat integri cujusdam muscoli fabricam quodammodo exprimere ac imitari; pluribus sc. hujusmodi fibris infernè in unum communem funiculum, tanquam tendinem, colligatis, supernè verò suis osculis, quæ flatum oris aliàs immediatè exciperent, in capsulam quandam paulò ampliorem ritè insertis, ut per angustius collum & orificium talis capsulæ immissus flatus per omnes illas fibras æqualiter distribueretur, contractisque unà omnibus, intra communem etiam membranam conclusis (sic enim artificium tegi magis posset) totus musculus decenter abbreviaretur. Ex hac porrò meditatione ultrò manabat alia, quod hoc pacto musculorum singulorum actiones & vires ad oculum demonstrare liceret; si v.g. musculus ejusmodi artificialis ad formam & proportionem brachii conformatus, tendine suo cubito alicujus sceleti decenter alligaretur, capite verò ad os humeri solito loco, firmaretur: Sic enim sufflando per angustum capitis orificium, contractus ex flatu musculus os cubiti versus pectus esset necessario adducturus, pariliq̄ue artificio omnes alios aliorum articulorum motûs imitari facile esset. Quin etiam, quo major esset hujus imitationis gratia, sic parari possent omnia novi cujusdam artificii additamento, ut flatus fibris vesicularibus immittendus non ex ore alieno, sed ex capite ejusdem corporis, cujus articuli movendi essent, derivaretur, & hoc pacto major adhuc pleniorq̄ue analogia totius negotii eluceret. Etenim haut adeò difficile esset ita parare corporis humani æmulam machinam, ut ex ampla capitis cavitate, quæ loco cerebri multum aërem, eumq̄ue siphonis ope per valvulam aliquam sive ventile, quod vocant, confertim inspiratum haberet, per angustum quendam canaliculum è corio aliave materia flexiliore paratum, aër ad hunc aut illum brachii, pedis, mandibulæ &c. muscolum occultâ viâ derivaretur, quoties scilicet hæc aut illa valvula, quæ canaliculum

Cc

dictum